DE VIA AC RATIONE

QUA IN

INSTITUTO TRIERIANO

ARTIS OBSTETRICIAE USUS ET DOCETUR ET EXERCETUR.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

IN UNIVERSITATE LITERARUM LIPSIENSI

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS AUCTORITATE

PRO

SUMMIS IN MEDICINA ATQUE CHIRURGIA HONORIBUS

RITE CAPESSENDIS

ILLUSTRIS ICTORUM ORDINIS CONCESSU

IN AUDITORIO IURIDICO

A. D. x. MENSIS APRILIS A. MDCCCXXVII


PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

EDUARDUS GUILIELMUS GÜNTZ

WURCENA - MISNICUS

MEDICINAE BACCALAUREUS ET SOC. NAT. SCRUTAT. LIPS. SODALIS.



LIPSIAE

EX OFFICINA HIRSCHFELDIANA.

Digitized by the Internet Archive
in 2016

https://archive.org/details/b22416936

VIRO

EXCELLENTISSIMO AMPLISSIMO DOCTISSIMO
JURIUMCONSULTISSIMO

D. CHRISTIANO ERDMANN ZANGEN

CAUSARUM PATRONO APUD DRESDENSES CELEBERRIMO

AVUNCULO DILECTISSIMO

HOC SPECIMEN ACADEMICUM

GRATI ANIMI DOCUMENTUM

ESSE VOLUIT

AUCTOR.

INTRODUCTIO.

Experientia, quod sane est dolendum, edocemur, unicuique instituto artibus aut scientiis promovendis designato, etsi praestantissimo, causis adversis haud raro moram et impedimentum afferri. Non est igitur, quod miremur, scholam quoque obstetriciam Lipsiensem variis vexari difficultatibus, felici rerum eventui plus minusve noxiis et inimicis. Quae quidem difficultates, partim simul cum ipsa schola ortae, sensim sensimque proveniunt, partim, temporum decursu irrepentes, in diem magis se produnt et progressum ejus retardant. Jam cum apud animum constituerim, curandi rationem, quam schola nostra sequitur, describere, nec non de bonis et commodis, hac ex methodo redundantibus, breviter ad lectorem referre, liceat ante omnia malorum et incommodorum, quae prosperum successum impediunt, facere mentionem. Quemadmodum enim vis ulla corporis alicujus probe aestimari non potest, nisi pondus, quod tollere valet, cognitum habemus, ita etiam facultatem moralem, quae opus quoddam moderatur, dijudicandi, tum demum datur copia, si momenta, quae a fine, qui petitur, abducere possent, manifesta sunt.

Schola obstetricia Lipsiensis recentiori tempore *) fundatis literariis institutis adnumeratur. Consilium in ea constituenda exsecutum, suo tempore publice propositum est **), quam ob rem de minori scholae ambitu, sorte, unde pecuniae ad eam sustentandam necessariae repetuntur, circumscripto, jure taceam, et ad alia, quae inprimis hic commemorari debent, transeundum esse censeo.

Inter prima, quibus nititur actio, momenta, situs meretur referri aedificiorum. In regione suburbana ad occasum brumalem spectante ager extenditur, locus uliginosus, piscinis abundans, fluviisque leni tractu labentibus septus et

*) Anno h. s. X.

**) *Schriften zur Beförderung der Kenntniss des menschlichen Weibes u. s. f.*, von J. C. G. Joerg. 1. *Theil. Nürnberg*, 1812.

inclusus. Hic aedes conditae sunt scholae nostrae obstetriciae. Solum ubique tanto gradu inferius positum videmus, ut aquarum superficiem vix aequet et aggere aegre muniatur. Frustra tamen suscepti labores, quibus huic malo mederi studuimus. Tempore, quo large caduut imbres, nivesve liquescunt, aquae torrentis in modum ripas superant et loca, quae circumjacent, inundant. Tecta aedium tum instar insularum ex aquis emergunt, notaque muro apposita incolas ad diluviei incrementum diligenter observandum adhortatur, ne aquarum vi et impetu oppressi maximo afficiantur damno. Jam occupationum sic natarum strepitu domus jactatur; excubiae in statione sunt, vigiliae ad multam noctem vigilant, manusque sedulae moles fluctibus opponunt. Nihilominus profundiora horti loca in vicinia aedificiorum saepius undis attinguntur. Ac jam illa omitto, neque enim sunt aut obscura aut non ante longum tempus facta. Similis eventus non semel quotannis renovatur. Tempus tantummodo hiemale, idque perfrigidum, solum exsiccare valet. Sed longe miserabiliorem conditionem habitantes aestatis fastigio experiuntur. Isto tempore campus agro Pomptino, qualis hodie terret, haud dissimilis squalet. Romani veteres culturam mancipiorum agmine ingenti expugnarunt; in nostro autem fundo vires operi sunt impares. Qua de causa hortorum pars tantum minor, arti herbariae dicata, cultu gaudet exoptato, major vero, ad rem rusticam pertinens, passim aratro quidem, at minus sedulo vertitur. Gravissime autem scholae salus depravato offenditur statu piscinarum, qui magis magisque deterior fit; etenim non piscinae sunt sed paludes, tantillo aquae putidae repletae. Limus ad cubiti altitudinem fundum obtegit, calamus atque arundo ad oras laete adolescunt et lemnae in superficie confertim natant. Talium stagnorum numerus haud parvus agrum dissecat. Huc accedit, quod piscatores ad pisciculos capiendos fervido anni tempore, vel ipsis diebus canicularibus, aquas quae supersunt, deducunt, quo facto coenum denudatum aërem circumcirca exhalationibus pestiferis, culicumque examinibus inquinat et obnubilat. Unus crater, isque maximus et proxime ab aedibus hians, metum offert, ne domus ala, versus occidentem sita, paullatim prorsus ab habitatoribus orbetur. Febres enim intermittentes perniciosae, miasmatibus e lacu provenientibus generatae, unumquemque illorum semel et saepius jactant, urent, cruciant. Sed jam sat multa! Tot enim et tanta prostant exempla, ut totus ager quoad salubritatem coeli pessime audiat.

Aliud, de quo queramur, momentum aedes ipsas spectat; amplitudine nimirum sufficienti carent et ruinam minantur. Spatia subtecta aedium, olim in usum honestae familiae privatae, quae per aestatem solummodo eas inha-

bitavit, structarum, jam varium instituti publici apparatum capiant. Capiant scilicet, imo alteram disciplinam, cum omnibus, quae pertinent ad rem, capere coguntur. Schola nempe, botanicam profitens, una adest in unis aedibus, et magnam earum partem occupat. Quod restat spatium, in diversoria demum pro gravidis foeminis, puerperis et neonatis, in oecos, ubi partus editur, examina cum discipulis instituuntur et praelectiones habentur, porro in cubiculum rebus ad artem referendis asservandis, et in domicilia rectoris, ejusque socii, obstetricis domesticae, scholarium foeminarum, oeconomi et s. p. divisum est. Magna igitur inopia loci, maxima rerum angustia ubique in domo cernitur. Felix, qui se intra suas angustias continere potest! Felicissimus, cui lectum commode parare contigit!

Aedes has in ruinam pronas esse supra contendi. Atque aliter fieri non potuisse facile exinde intelligitur, quod annos abhinc C conditae, neque e saxis sed ex lignis structae sunt. Fundamenta, quibus insistunt, parum profunda posita, perpetuo humore et rattorum catervis subfossa, sensim sensimque labuntur, muro exteriori rupto venti flatibus, solisque radiis per rimas via ad interiora panditur, parietibus intergerinis scissis lacunaria demittuntur, et cum tempestatis vi deturbatae sint tegulae, pluviis, nivibusque aditus datus. Vitia facta quotannis quidem reficiuntur, at brevi post, salva dexteritate fabri et caementarii redeunt et fiunt pejora, ac antea fuerant. Malum, proh dolor, funditus vix fugandum, in diem ingravescit.

Jam ad aliam, eamque graviorem quam habemus de statu rerum in nostra schola quaerelam transeamus! Aditus ad aedes non instituti incolis solis apertus est; januae potius late patent, sic ut, cui libuerit, in aedes intrare possit. O quaestionem difficilem non modo administrandae sed etiam conservandae salutis scholae! Ususfructus nimirum praedii locatus est; jam cum illorum, qui hortum conduxerunt, quisque ex sua parte quacunque ratione plurimum lucri capere studeat, una via principalis, eaque per aream domus in agrum ferens, aestate perpetuo hominum multitudine premitur. Alii piscatum veniunt, alii messum, alii emtum, alii ambulatum, nonnulli custoditum, alii furatum. Omnes namque, qui aut negotio ducuntur et quibus nihil officii est, per scholae obstriciae vestibulum iter faciunt. Hortis demum hominum turba late vagatur; iique vociferantur, cantitant, ejulant, bacchantur, strepitumque movent ranis innumeris, quae in vicinarum paludum limo coaxant, multo clariorem. Hortus olim amoenus et ab omni turba vacuus nunc poetae dictum:

Differtus nautis, cauponibus atque malignis

Hor. Serm. I. V.

in memoriam revocat fatigatorum domum habitantium. Revera damnum, quod scholae obstetriciae disciplina, ut de periculo taceam, valetudini puerperarum imminente, ex hac turbatione sustinet, aegre fertur. Sciunt rei gnari, quantae dignitatis praefectura morum sit in instituto publico strenue exsequuta. Jam si perpendunt, gravidis mulieribus, quoniam nullae instituti sumtibus aluntur servae, secundum ordinem plurima negotia, nunc in area domus, nunc in horti ambitu ipsius esse peragenda, cum res tam infestae sese habeant, circuli garrientium, cupediae furtim suggestae, controversiae, vel conventus amatricum cum amasiis ab hac locorum licentia oriundi, nulla custodia ex toto impediri posse, in aprico positum est.

His, quae commemoravi, momentis nonnulla alia incommoda, eaque haud minimi ponderis, occurrunt. Sic e. g. ordinis publici curia gravidarum mulierum receptionem difficilem reddit; quae enim extra Lipsiam natae in urbe famulando victum quaerunt, gravidae factae, nisi obligatio data fuerit, ipsas natali solo una cum neonatis receptum iri, ab urbe severe relegantur. Porro schola rerum quarundam, quibus indiget, si praestanda rite velit praestare, penuria valde premitur. Puteo locale nostrum caret et aqua per canales meante, ita ut aqua ad potum apta e longinquo arcessatur, balneum vero quodque in usum infantum, e fluvio saepius limum ferente hauriatur, necesse sit. Cella item subterranea desideratur.

Sed jam satis multa de hisce difficultatibus toties jamjam, sed frustra, ab instituti directore et verbis et scriptis oppugnatis, quarum pondus animo reputans doctus et intelligens existimator magnopere timet, ne scholae successus incertus sit atque minus faustus. Si vero exoptatus nuntius affertur, institutum obstetricium Lipsiense, licet tot difficultates se objiciant et tantae, ordine procedere et finem sibi propositum duplicem, tirones utriusque sexus erudiendi, et arti, salutis humanae praesidi, omni modo consulendi, prorsus attingere, rei periti, ad unum omnes, oculos conjiciunt in virum, cujus dextra sub ejusmodi iniquis conditionibus gubernaculum regit. Ejus virtute, fide, diligentia factum est, ut nostra schola inter praecipua hujus generis instituta referatur. Quantum magister atque doctor profuerit, discipuli egregii, tum artem obstetriciam profitentes, tum praxin medicam exercentes, tum feminae obstetricantes, patriae ubique usum ferentes, mirifice testantur. Quantum medicus valeat et rector, scholae obstetriciae adumbratio, quam mox cum lectoribus communicabo, clarum faciet atque perspectum.

CAPUT I.

De cura foeminarum gravidarum.

Foeminae jam inde a sexto, septimo, vel octavo graviditatis mense scholae tectis recipiuntur. Quum vero propter rerum nostrarum angustias sex tantummodo lecti parati sint, in universum omnibus, quae primum se venturas nuntiabant, adeundi copia prae ceteris datur. Quodsi plures eodem tempore ea de causa, ut in domum recipiantur, adveniant, de numero earum, illae potissimum, quae auxilio praecipue indigent, eliguntur. Paratiori vero animo salutantur, quibus vitia sunt in pelvi, in partibus genitalibus, graviditatis statu; jure enim speratur fore, ut ex observatione casuum rariorum in discipulos majores redundent fructus. Valetudinis imbecillitas, imo mala, quae chirurgica auxilia postulant, minoris momenti, a receptione non excludunt, vero iis, quae morbis contagiosis laborant, admissio negatur.

Vita, quam in schola degunt mulieres gravidae, rationi, cui ante receptionem obtemperarunt, convenit, at minus duriter et parce vivunt. Victus, qui suppeditatur, quotidianus communis quidem, sed saluber et copiosus. Tempore matutino alumnae jusculo et pane siligineo, meridie nunc carne elixa, assave, bubula, vitulina, porcina et oleribus, nunc cibo lactario, ad vesperam obsonio, aut jusculo et pane butyro illito nutriuntur. Pro potu cerevisia bene cocta, aqua et infusum theaeforme ex herba Serpylli paratum praebetur. Nunquam vero conceditur, ut quaedam voraces aut delicatioris palati plus ciborum, aut alia alimenta et potulenta, ac certa victus ratio diei praescribit, sumant; experientia cum saepius probatum sit, permagnum gravidarum mulierum, infimo loco natarum, numerum diaeta neglecta in morbum incidere, semper alimentorum furtiva invectio ut delictum animadvertitur et poena in dato casu constituitur diaeta parca, imo ipsum jejunium.

Vestes muliebres secundum coeli statum et anni tempus mutantur. Tempestate adversa gravidae, quoad vestitum, diligentissime custodiuntur, omnisque cura adhibetur, ne, ut solent, veste nimis tenui, pedibusque nudis in-

cedant et frigoris injuria tangantur. Inprimis abdominis ratio ducitur et, quibus venter promissus, consilium datur, denudatum fascia lanea, altero quasi omento fovendi. Fasciae secandae modus satis notus est. Foeminae lectis, plumis refertis incumbunt.

Negotia, quibus occupatae tenentur mulieres, ad pristinam vitae consuetudinem accommodata sunt. Aliae conclavia everrunt et purgant, aliae tabulata abstergunt, aliae lintea lavant et laevigant, nonnullae nendo operam dant, aliaeque acu fila conserunt. Occupationes tamen tales iis imponuntur et tantae, quae nec corpus frangere, nec normalem ejus statum ullo modo mutare valeant, nec periculosae sint graviditati, sed mediocris tantummodo contentionis, imo faciles. Tantulum vero laboris mulieres suscipere coguntur, ut ne otio languescant; nemo enim istis inertior. Simili vitae ratione remedium inventum incommodis numerosis, de quibus gravidae ordinum nobiliorum foeminae ignavae saepius flebilem in modum queruntur, veluti vertigini, anxietati, animi deliquio, anorexiae. Haec namque symptomata, de sanguine majorem chyli copiam ferente, nec non de utero ovum fovendo expanso, venasque abdominis majores pressu plus minusve laedente oriunda, corporis leni at frequentiori motu egregie sublevari, satis constat.

Cura, ut ad negotia peragenda adhortentur gravidae mulieres, obstetrici domesticae, ut scholae disciplinae prospiciatur et saluti ipsarum consulatur, tradita est. Prohibendum, quo minus ad arbitrium vivant, libereve vagentur, ideoque sua sponte aedificiorum circuitum relinquere non licitum est his, quae in domum nostram sunt receptae. Si vero extra loci fines uni alterive res quaedam gerenda, quam aliorum curae mandare nequit, foeminam scholarem comitem habet.

Jam dum graviditatis volvitur decursus, tempus, quod futurum est, omni modo spectatur. Quaecunque status gravidae postulet, aguntur, quae ad partum juvandum et puerperium rite dirigendum judicentur apta et accommodata, praeparantur. Semper provisa ratio, sicque via ad prosperum eventum quasi munita. Ex curriculo vitae, quod quaevis foemina, paulo post receptionem nobis cognitum reddere debet, de praeterito, quae ad rem, colligi possunt. Jam praesens mulieris conditio acutissime indagatur. Constitutione corporis perspecta diligenter, quae ad graviditatem pertinent, examinantur. Examine, quod ore peragitur, absoluto, pelvis ossea, uterus, quodque continet ovum, et reliquae partes genitales lege artis tactu explorantur. Instrumentis, pelvimetris plerumque dictis, scholae disciplina nunquam utitur. Quo facto ipsum partus momentum praedicitur. Sed in hisce magistri nostri cura non subsistit.

Etenim, si e. g. pelvis forma reperiatur vitiosa, praeceptor de methodo, qua partus prospere ad finem perduci possit, cum discipulis disserit, simul partium genitalium, quae parturiendi actum mutare valent, exploratio obstetricia instituitur, qua saepius occasio datur, pericula praevidendi et remedia inveniendi atque mature administrandi. Varices, v. c. si in pudendis aut in vaginae parietibus erupuerint, gravidae mulieris saluti, spongia aceto madefacta, justo tempore parata, prospicitur atque ita prohibetur, quo minus, nisibus inter parturiendum ruptae, nimiam sanguinis copiam effundant; ubi autem perinaeum late expansum, obstetrici, ut manum in sustentatione instituenda adaucta cura apponat, jubetur; integumenta perinaei rigidiora inunctionibus unguinosis ad extensionem perferendam apta redduntur; vagina arctior balneis sellariis emollientibus, tepidis relaxetur; quibus denique prolapsus et vaginae et uteri sunt, iis paretur situs in partu minus erectus, isque mature capiundus.

Sed ita nondum omne explorationis genus absolutum est. Ovi nimirum, quod utero gerit foemina, conditio investiganda, simulque opera danda, ut foetus magnitudo, positio atque situs, liquoris amnii copia et, si fieri potest, qualis placentae locus sit, tactu cognoscatur. Quam quidem perceptionem saepissime quo ad partus plus minusve de norma decessuri decursum summae dignitatis esse, inter omnes constat. Bis singulis hebdomadibus tales explorationes instituuntur. Director instituti scholares, quotiescunque explorant, semel et saepius admonet, ut leniter atque caute tangant partes muliebres. „Nemini jus datum esse, feminas istas temere doloribus afficiendi; neque premendo et tundendo, sed subtiliter attrectando, digitis extremis negotium hoc peragendum esse, sic ut, quae scirent, percipiant atque sentiant.“ Talia sunt verba magistri gravis et docti. Ceterum, ne scholaris, absente praeceptore, explorationem obstetriciam instituat, item ne alius digitus, quam index, vaginae immittatur, ne gravidarum vestitus oleo, maculisve unguinosis inquinetur, ininterdictum est.

Similiter venturi puerperii jamjam graviditatis tempore ratio habetur. Foeminarum ventre gerentium mammae veste apta indutae sunt, ut contra tempestatis injurias defendi, nec tamen pressu laedi possint, potius ad lactentum mature praeparentur. Papillae immundae a sordibus liberantur, epidermide carentes solidiori, spiritu vini bis quotidie, ut durius epitelium fiat, humectantur, minus elevatae aut tubo fumo Nicotianae per fistulam argillaceam sugendo, aut nudis digitis protrahuntur. Hinc cujusvis gravidae mulieris in institutum receptae mammae semel et saepius inspiciuntur. Sed alia quoque ratio haud levis ad organi commemorati inspectionem incitat. Ex mammae

nimirum conditione licet conjicere, qualis liquor amnii et quae ejus quantitas sit, qua forma et structura placenta gaudeat, et in quo statu foetus versetur; quippe mammae non pinguedinis mole, sed organi ipsius amplitudine et structura sana conspicuae, placentae crassae atque integrae, foetusque bene nutriti spem fovendi copiam dant. E mammis majoribus quidem, at laxis et praeter modum mollibus insignem liquoris amnii ejusque tenuioris vim conjicere licet; organi autem hujus minor ambitus, et abnormis habitus nos adducunt, ut adversum et placentae et foetus statum praesentem existimemus. Saepenumero ea, quae fore suspicati eramus, facta cognoscimus.

Morbis, quibus mulieres gravidae interdum laborant, hoc modo schola medetur. Qui prae caeteris occurrunt morbi sunt hi, qui a voracitate et refrigerio ortum habent suum, quorsum indigestio, febris gastrica et biliosa, diarrhoea, catarrhus et inflammatio pertinent. Simulac in adversam valetudinem inciderint foeminae, egressus e conclavi defenditur, et febre correptae statim in lecto collocantur. Victus tenuis, medicamenta parca. Singulis morbis naturae lege medetur medicus: emesi, abstinentia cibi occurritur iis, quae indigestione et febribus, tum gastricis, tum biliosis, laborant. Vix unquam extractorum aut salium s. neutrorum, s. mediorum solutiones porriguntur. Convalescentibus pulvis cort. Aurant. nunc merus, nunc cum Rad. Rhei (gr. V. aa p. d.) conjunctus propinatur, et quandoque etiam infusa theaeformia Serpylli, vel Menthae optimo cum successu in usum vocantur. Diarrhoea pro mali natura, aut impune fertur, aut victu mucilaginoso, potu diaphoretico et miti (dec. Sem. Lini, infus. Flor. Samb. et s. p.) sanatur, item lana abdomini superimponitur, et si pertinax est, Tinct. Opii reprimitur. Opium sub Laudani liquidi forma guttatim et exigua tantummodo dosi (gtt. j ad jj) nunc tantulo dec. Sem. Lini, nunc tinct. Cinnamom. (gtt. XV—XX) mixtum datur. Quae quidem Opii dosis bis, terve singulis diebus propinata, egregie sufficit ad sistendum morbum, ita ut postero die eam repetere vix opus sit, et nihil incommodi, toties hoc remedio importati, afferat. Catarrhi diaeta sudorem movente fere semper fugantur, rarissime sic aegrotae iis afficiuntur, ut sinapismi administrationem postulent. Vesicantia ejusmodi in casibus scholae disciplina, dummodo fieri potest, et jure quidem respuit, cum in cantharidibus systematis uropoëtici, genitalibus vicini, functionem adaugendi, eoque uteri ipsius statum turbandi, vis tantopere emineat. Jam superest, ut de cura, quae in aegrotis, inflammatione hac illave affectis adhibetur, disseram. In tali autem statu raro medicamentorum copiae locus datur. Quae discutiunt, quae a refrigerio tuentur, quae pressum impediunt, inflammationibus, in super-

ficie corporis enatis, prospero cum successu opponuntur, internae vero partes inflammatae severius observantur. Periculo imminente apparatus s. d. antiphlogisticus praesto; hirudines proinde applicantur, vena feritur, emulsio papaverina porrigitur et q. s. r.

Jam ad mala venio quae intime cum graviditate cohaerent, et prae caeteris occurrunt, quorsum rheumatismus uteri, metrorrhagiae, varices in cruribus, pedumque oedema pertinent. Et quod ad incommoda spectat, quae e rheumatismo uteri nascuntur, cum scholae medicus graviter timeat, hujus mali, simulac symptomata e longinquo erumpant, quin mulier gravida e lecto surgere possit, iubetur. Abdomen lana tegitur calefacta atque sicca, tum remedia sudorifera, nec minus, quae tractum intestinorum plerumque una turbatum leniunt, dantur. Partes genitales internae rarissime digito tanguntur. Hoc quidem pacto persaepe fit, ut uteri dolores sileant, et orificium ejus jamjam dilatatum sensim se contrahat, partusque terminus ad justum tempus retardetur. Simili cura, siquidem fieri potest, partus praematurus, quacunque de causa accitus, impeditur, quiete imprimis et diaeta leni. Contra metrorrhagiam remedia, ad naturam mali accommodata, eliguntur. Semper vero in lecto teneatur jacens sine ullo corporis motu voluntario, aegrota. Praeterea quidquid liberum sanguinis per corpus circuitum impedire possit, removeatur, cutis transpiratio sustentetur, animique tranquillitas nullo modo turbetur. Singulis causis, lege artis, medicina apta occurritur: orgasmo vasorum apparatu antiphlogistico, placentae, solutae ex parte ab interiori uteri pariete, situ resupino tranquillo, penitus vero avulsae, si periculum in mora, velamentorum ruptura filo argenteo incurvato instituta, placentae praeviae tandem, quiete, victu lautiore et nutriente, vel operatione. Diducatur orificium, et velamentis disruptis, foetus protrahatur. Mola in utero morante et haemorrhagia crebra exitium minitante, simili etiam modo auxilium fertur. Adstringentibus internis datis, opera prorsus luditur. Varicosa tubercula tibialibus e linteo confectis et loro alligatis, rite coercentur, quo quippe pacto gravidae mulieres omni periculo, ne varices rumpant et haemorrhagia oriatur, vacuae incedant. Pedes oedematosi, ut cutis secretio adaugeatur, fasciis circumdantur laneis.

Tali modo saluti gravidarum foeminarum, et sanarum, et aegrotarum, optime consulitur.

CAPUT II.

De cura parturientium.

Mulierum, quae aluntur in schola, numerus longe maximus, parturiens recipitur. Quae probe versatae sunt in rebus venereis, ne in conspectum veniant scholarium, ad institutionem vocandorum, intempestivo pudore prohibitae domi morantur ad momentum usque, quo infans edendus sit. Tum demum cum maturato opus, vetula quadam comitatae, quanta maxima possunt celeritate, ad scholam accurrunt. Quo fit, ut interdum in ipso vestibulo vel in via partum edant, saepiusque liquore amnii madefactae, refrigerio admisso, metrorrhagia debilitatae, instituti curae sese tradant. Casibus tam iniquis magna plerumque adhibenda opera, ne vita et puerperae et neonati periculo opprimatur. Si vero per rerum statum licuerit, partus decursum ab initio observando prosequi, cura in naturali, quae nunc commendatur adhibetur. Quando primi partus dolores accedunt, exploratione determinatur partus propinquitas. Indagatur dolorum differentia, verine sint et praesagientes, an spurii, tactu percipitur uteri situs, ejusque orificii figura, atque foetus pars oblata. Quibus omnibus distincte cognitis, clystere parturiens purgatur emolliente, e dec. Lin. parat., ut et munditiei prospiciatur et, quae capitis exitum retardare possent excrementa, semoveantur. Ejusmodi quippe injectio, mature, et si requiritur iterata vice administrata, rupturam cum vaginae, tum intestini recti, faecibus sub globulorum forma exsiccatis in partu naturali etiam quandoque evenientem omnino praecavet. Porro parturiens monetur, ut lotium, quotiescunque urget, emittat, ut vestimentorum ligaturas laxet, solidioribus cibis prorsus abstineat et siti, saepius quidem, at minori potus copia, satisfaciat. Aqua in hunc finem porrigitur fontana, vel infusum theaeforme Herb. Serpylli, vel jusculum tenuius, qua diaeta suppressiones urinae et congestiones sanguinis ad superiora, non minus quam vomitus frequens optime praecaventur. His autem peractis parturiens, donec orificium uterinum ultra imperialis circiter diametrum sit apertum, ceteris paribus, ad suum arbitrium sedeat, incumbat, ingrediatur. Cujus liberi corporis habitus motusve potestas datur, ne mulier, ante tempus lecto affixa, impatiens fiat, atque lassetur. Deinde etiam, ut inter omnes constat, labores ingressu modico, et corporis agitatione temperata efficaciores redduntur. Primiparis longior extra lectum mora conceditur, ac foe-

minis, quae jam antea aliquoties partum ediderant, utpote in quibus haud raro celerrime opus absolvitur. Dum prima periodus et secundi stadii pars decurrunt, parturiens, obstetricis custodiae tradita perpetuo observatur, ne ante tempus nixus edat, simulque uteri orificium, capitisque situs nonnunquam tactu explorantur, ne inopinato, doloribus fortius urgentibus, foetus expellatur.

Lectus, qui in schola nostra ad partum eligitur, sponda constituitur longitudinis consuetae, latitudinisque non majoris, quam quae unicae personae convenit. Pulvinaria stramento referta atque lintea asserculis superimponuntur, et ansae ad latera affixae sunt. Apparatus, ut facile patet, simplex quidem et tenuis, at sufficiens et talis, quem obstetrix quoque in domicilio privato, vel tugurio, sine mora componere potest. Ejusmodi lectulo parturiens, culcita obtecta, justo tempore ita incumbit, ut ab initio nulli certo situi adstringatur et molliter, dummodo dolores interdum silent, requiescat. Obstetrix ad lecti latera vel stando, vel sedendo suum agit officium; etenim partus statum tactu explorat, sitim parturientis sedat, tegumenta delabentia, ne liber sit aëris accessus ad foeminam, in ordinem restituit et praecavere studet, ne mulier jactatione nimia detrimentum capiat. Ceterum primiparis, ne strepitu repentino opus forsan concomitante terrefiant, paucis exponitur, quid velamentorum ruptura sibi velit.

Simulatque uteri orificium usque eo dilatatum est, ut caput prodire possit, parturientis manibus ansae, ad nixus edendos porriguntur, seduloque cavetur, ne opera nimia debilitetur mulier, nec unquam in dolorum intervallo nixus edat. Ruptis velamentis, abjecta omni cunctatione, obstetrix partus statum explorat, digitoque orificii uterini ambitum exquisite indagat, ut certior fiat, an una cum capitis segmento, brachium foetus, vel umbilicalis funis pars, liquore amnii profluente, ex uteri cavo abluta sint, nec ne. Quodsi acciderit, auxilium in promptu. Quando autem rerum status exoptatus cognoscitur, nil fere agendum, nisi perinaeo tuendo opera danda. Atque hunc in finem sequentes regulae servantur. Situs parturientis sit supinus, femoribus recte protensis et genu altero ab altero non longius distante, quam duodecim pollices ad summum. Perinaeum, ut manus apponi possit, a pulvinaris, regioni sacrali subpositi, margine paululum promineat. Parturiens a nisibus prorsus abstineat, ideoque inter hoc tempus semel et saepius clara voce, ut dolorem toleranter patiatur, moneatur. Palma ita apponatur, ut nec mantili obducta, nec rugosa et excavata sit, at nuda et plana, ut ita dicam, attrectando perinaei superficiem obtegat. Ubi vero, doloribus fortiter ingruentibus, nimio impulsu

versus perinaeum pellitur caput, modice reprimatur, nec priusquam humeri prodierint, detrahatur manus. Quibus regulis, si morem gerit, cui sustentandi officium, absque genitalium externarum noxa partus editur.

Foetus exclusus caute tollitur, ne funiculus umbilicalis, si forsan normali careat longitudine, praeter modum extendatur vel dilaceretur, tum vero ita collocatur, ut facie sua obstetricem respiciat, atque ab effluente e genitalibus sanguine immunis sit. Quodsi tunc vivus et vegetus vagitu vires demonstrat, absque mora funiculus deligatur. In deligando manus, quae nodum nectunt, altera alteri firmiter apponuntur, omnisque cura adhibetur, ne fasciola (lembo e filis duplicatis texto) inopinato rupta, radix quasi ex infantis umbilico evellatur. Ligatura, ad quatuor saltem digitos transverso ab umbilico annexa, nodo vulgari firmatur. Deligato funiculo pone ligaturam forfice ad apices obtusa discisso, infans ab adstante recipitur, et, ut corpusculum mundetur, tepido lavacro immittitur. Semoto foetu femora jungat mulier et requiescat, diligenti tamen curae tradita, ne morboso quodam symptomate fortassis repente correpta et auxilio prompto destituta, hoc ipso temporis momento, cum periculum in mora sit, succumbat.

Quarta circiter horae parte praeterlapsa, secundinarum habetur ratio. Antequam vero ad eas extrahendas se accingit, qui officium in se recepit (semoventur scilicet nunc manu discipuli eruditi, nunc foeminae scholaris, per aliquot menses jamjam institutione usae,) caute inquirere debet, utrum revera placenta soluta sit, nec ne. Quapropter linteis, inter femora expansis, ut de sanguine profluente certior fiat, exploratis, abdomini puerperae manum imponit, uterique statum leni attrectatione indagare studet. Quodsi hoc organon in regione pubis contractum offenditur, duriusculum, ad capitis neonati ambitum, secundinas semovere licitum est. Puerpera statim dextrum flectat genu, ita ut obstetrix, sinistram manum submittere et funiculum circa digitos volutum prehendere possit. Quo facto dextrae manus indicem vaginae immittens, apice digiti, si fieri potest, ad insertionem funis usque sursum pergit. Jam digitum nunc huic nunc illi parti motando applicat et modice, ut placenta indicis opera ex angustia liberata prodeat, altera manu trahit. Simulac placenta apparet, dextra manus eam prolabentem duobus prehendit digitis, pollice et indice, ne, tota manu adhibita, pubes una apprehendatur, ea autem penitus extracta et vola alterius manus excepta, iidem digiti velamenta convoluta, leni tractu, et quasi digitis circumvolvendo e vagina, imo ex uteri orificio educere moliuntur. Quod si feliciter successit opus, secundinae sub femore puerperae, ne sanguine guttatim defluente temere contaminetur, vasculo immittuntur et

servantur, atque tempore opportuno examinantur. His autem rite peractis muliebria spongia mundantur, tandemque enixa in lectum, in quo tranquillam puerperii requiem capiat, singulari cura transfertur.

Haec fere sunt, quae in partu naturali, cui quatuor discipuli et duae foeminae scholares assistunt, peraguntur. Ubi facies foetus, vel clunes, vel genua, vel pedes praevii sunt, partus nihilosecius naturalibus adnumeratur, et sine artis ope plerumque absolvitur. Medicus vero scholae, simulac talis pars oblata tactu percepta est, partus laborem caute observans, aut in aedibus instituti ipsius, aut in ejus vicinia moratur, ne foetus, si caput forsan in excidendo haesitet, ob defectum auxilii, forcipe oblati, exspiret. Quodsi vero ob hanc vel illam causam natura, quae hoc negotium optime gerere solet, peragendo partui et saluti, cum parturientis, tum foetus servandae non sufficit, ad opem artis confugimus. Quaecunque vero difficultas in partus decursu occurrat, nonnullas, veluti generales et firmas leges nobis scripsimus, quas in hoc opere absolvendo semper sequimur, atque hae sunt:

I.

Nunquam operatio ulla, nisi necessitate imposita, suscipitur. Directori scholae electio justi temporis, quo medicus artis ope naturam adjuvare debet, caput rei videtur.

II.

Ob solam scholarium institutionem partus naturalis arte non finitur.

III.

Si vitae, cum parturientis, tum foetus periculum imminet, quod partu sine mora peracto fugandum est, adventus discipulorum, qui quidem extra domum habitant, et simulac medicus operationem instituere cogitat, ad unum omnes vocantur, haud exspectatur, sed, quae res postulat, mox, etiam absentibus illis, exercentur.

IV.

Nullum diei, noctisve tempus ab artis ope ferenda alienum censetur.

V.

Quae praeparant foetus egressum operationes, ab iis, quae trahendo, et molem foetus diminuendo partum ad finem promovent, accurate distinguuntur. Ubi operi absolvendo priores sufficiunt, quin hasce in usum vocet, constanter se continet medicus.

VI.

Ipse scholae director operationes, vel manu, vel instrumentis absolvendas peragit.

Situs parturientis, siquidem fieri potest, ab illo, qui in partu naturali locum habet, neutiquam est diversus. Ubi vero in graviori rerum statu requiritur, ut operator commode actiones necessarias perficiat, eodem lecto, quo partus editur naturalis, transverso tamen, ita incumbit parturiens, ut ossis sacri regione ad marginem usque pulvinaris stramento referti protracta, in humeris vero, ne sursum, deorsumque moveri possit, administris ad utrumque spondae finem collocatis, firmetur. Ad lectum utrinque scholares, quibus partus opus prae caeteris est observandum, sella insident et femora parturientis integra in gremium recipiunt. Operator genibus incumbens laborem, qui suscipi debet, peragit.

Jam si operationum singularum quarumque et usum et exercendi rationem strictim perlustramus, scire licet, velamentorum rupturam, et diductionem orificii uteri digito semper, nunquam vero instrumento perfici. Tertia praeparantium operatio, eaque summae dignitatis, versio proprie dicta, saepius in nostra schola instituitur, ejusque usus, absque ullo dubio, pro beneficio est habendus. Semper enim, quando foetus, justo modo nutritus, transversum situm habet, nec ullum pelvis osseae partiumve genitalium vitium libero infantis egressui officit, aliave de causa periculum instat, versio corpusculi ita perficitur, ut alteruter tantummodo pes attrahatur, quo facto, actio uteri sola foetum, recte collocatum, sensim propellat. Vivus tum et vegetus, operatoris, qui justo tempore ab omni artis auxilio caute abstinuit, gaudio, adstantium vero stupore, neonatus deprehenditur.

Ex operationum, quibus partus trahendo ad finem perducitur, numero, ea, quae per forcipem absolvitur, nostra in schola valde laudatur. Semper, ubi ex retardatione partus ob hanc vel illam causam, aut parturienti, aut foetui periculum imminet, caputque forcipe preheudi potest, foetus hoc instrumento extrahitur. Capitis, cochlearibus forcipis prehendendi facultatem in eam partem accipio, ut caput in pelvis aperturam superiorem jam delapsum significet. Quodsi illud in majori adhuc versetur pelvi, instrumento, praeter modum longo, attingi quidem et ab altero latere ad alterum comprimi poterit, nec tamen, salvo cranio, extrahi. In diametro enim conjugata capitis dimensor, compressione longior factus, ex toto incommodus pelvis spatio redditur. Capiti, dum forcipe Boeriano, (quo director instituti Trieriani semper uti-

tur,) protrahere studet operator, libertas illi conceditur, motu rotatorio circa axin longitudinalem se movendi, ideoque forcipis manubria nec manibus firmantur, nec fascia junguntur, nec mantili obteguntur. Impedimentis, quae se opponunt labori suscipiendo victis, forceps, ut caput ex angustia prodeat, statim solvitur. Sed plura de hac operatione instituenda non addo, quippe dexteritatem operatoris in immittendo et iungendo instrumento non minus, quam in trahendo et solvendo capite conspicuam, nec literis exponere, nec laudibus praedicare valeo. Sufficiat commemorasse, unumquemque fere foetum, forcipe protractum, vivum et illaesum, imo tam vegetum prodire, ac si partu naturali editus fuerit.

Jam vero si caput forcipe prehendi nequit, et nihilominus res urget, manu suscipitur foetus extractio. Cujus operationis eventus, quamquam maxime incertus et varius, tamen nostra in schola cura medici non ita raro prospero peragitur cum successu. Operator nimirum, quantum fieri potest, foetum leniter tractat, et, capitis transitu per quodcunque impedimentum retardato, citissime forcipe, mature parata, periculum imminens praevertit.

Quodsi medicus necessitate coactus, ad perforationem capitis instituendam animum adjicit, priusquam manum ad eam parat, an mortuus foetus sit, nec ne, diligentissime explorat. Vivum foetum operatione necare vir probus religiose detestatur, hinc, nisi de morte persuasissimus est, ad forcipis opem confugit, neque ita raro, vel rebus admodum desperatis, extractio illaesi foetus feliciter successit. Ceterum perforatorio utitur praeceptor, ad trepani formam facto, et cerebri effluxu promoto, si casus postulat, forceps dentibus instructa et uncus cum fructu adhibentur. Quae quidem operatio, cum instrumenta manibus tam exercitatis sint commissa, omni tempore tam prospero perficitur eventu, ut parturiens inter actum vix, ac ne vix quidem, de incommodis queratur, nec tantulum laesionis experiatur. Peracto labore puerpera ab alia non differt enixa prorsus sana, nisi lactentis infantis defectu.

Partus caesareus, qui vocatur, in nostra schola nondum locum habuit.

Quando partus in quinto stadio difficilis redditur, ubi sanguinis profluvium periculum minatur, semper, priusquam ullum aliud remedium in usum vocamus, placenta soluta extrahitur. Quoties vero utero adhuc placenta adhaeret, medicus digitos manus dextrae inter partem solutam et parietem uteri interjicit atque, eosdem ulterius promovendo, caute, ne matrici vis inferatur, nexum solvit. Singulis metrorrhagiis schola, causa explorata, lege artis occurrit. Quoties sanguis ob debilitatem uteri profluit, dolores, prorsus silentes, Tinct. Cinnam.

(gtt. XV—XXV p. d.), aether. sulphur., abdomini large instillato, et frictione continua, in regione fundi uteri nuda manu instituta, provocantur. Si vero vasa matricis post partum, justo celerius editum, licet organon maxime contractum sit, sanguinis copiam effundunt, ad injectiones, ex aceto diluto tepido paratas, sine mora confugimus. Quando ipsum uteri orificium ita coarctatur, ut placenta retineatur, nil nisi lenis fundi matricis frictio contractiones organi justas incitat, quae orificium dilatare valent.

CAPUT III.

De cura puerperarum.

Triplex justi puerperii functio, (uteri vulneris sanatio, cutis actio adaucta, lactisque secretio in mammis) dum partum enixae in schola foventur, eximia cura promovetur. Et quod uterum vulneratum attinet, quies corporis aegrotae commendatur. Primis post partum diebus ea fere semper resupina jacet, junctis femoribus, sine artuum jactatione, eodemque in situ permanens, siquidem fieri potest, neonato mammam praebet. Monetur foemina, ut lotium si urget, mittat, ne vesica, urinae plena, uterum pressu irritet. Alvus e contrario, naturae ordine sapienti plerumque tarda, neutiquam purgatur, sicque cavetur, ne contentione in intestino recto mota, organo, quod hactenus ovum fovit, simul vis inferatur. Nisi faeces, inferiori tractus intestinalis parti oneri sunt, clystere semovendae, alvus laxa nimiam intestinorum actionem, puerperio noxiam, indicat, ideoque semper, periculum subesse medico videtur, quando ante quartum vel quintum diem post partum alvina evacuatio insequitur. Ex lochiorum conditione, quam lintea contaminata nobis faciunt cognitam, tempus definitur, quo situs resupinus sensim mutetur; etenim haud conceditur, ut puerpera per horam erecto situ in conclavi moretur, priusquam humor, qui ex utero destillat, per duos integros dies serosus est repertus. Sequentibus diebus, si vires redierunt, horam horae addendo, paulatim diurno tempore lectum prorsus relinquat.

Quum foeminae lectis plumis refertis, qui in cameris bene temperatis collocati sunt, incumbant, et infusa theaeformia tepida vel aquam fontanam

justo modo calefactam, pro potu ordinario accipiant, cutis excretio, prima puerperii hebdomade tantopere necessaria, sufficienter promovetur, diligentissime tamen cavetur, ne supprimatur. Foeminae scilicet ejusmodi agrestes, quales ut plurimum sunt, rerum omnium rudes et ignarae, lecti calorem salutarem moleste ferentes, nunc culcitam dejiciunt, nunc aquam frigidam sorbere, nunc e lecto surgere conantur, ideoque dies et noctes severe custodiantur, necesse est. Officium, mulieres custodiendi scholarium est foeminarum, quo negotio alternis fungendo, ad munus, quod aliquando ipsis datur, optime praeparantur.

Ad tertium tandem finem, cujus supra memini, quod attinet, optime eum obtinemus, si organa, quae lactis secretioni praesunt, sugendo succo secreto exonerantur. Nostra schola regulam dictitat, eamque severe tuetur: *Unaquaeque mater infanti mammas praebere debet.* Huic legi rite obtemperans aeque sibi, ac neonato egregie consulit. Nulli vero praecepto vehementius oppugnatur, quam huic; etenim mulieres, plerumque abjectae et humilis conditionis, si partum ediderant, incommodis, neonato accitis, ultra modum offenduntur, ita ut, quae ipsis molesta esse videantur, fugiant. Itaque aut aperte curam infantis derelinquunt, aut ex occulto officio sacro, quod ipsis incumbit, haud faciunt satis. Attamen constantia directoris irrevocabili fere semper obstinatio mulierum frangitur; adhortatur, admonet, verbis castigat, et in eas demum mulieres, quae corrigi non possunt, poenam meritam, et necessariam, jejunium puta, statuit. Omnes e contrario, ad parendum promptas, quae mammam justo tempore et modo praebendo, parvulorum saluti prospiciunt, coram discipulis collaudans, medicus ea, quae iis merito debentur, tribuit.

Ut prospera puerperae valetudo conservetur, munditiei maxime opera datur, et pannos lochiorum fluidum absorbentes semovendo, et spongia infuso Hb. Serpylli madefacta, pudenda et perinaeum bis quotidie abluendo. Simili cura lintea sordida removentur.

Victus, qui suppeditatur, ab eo, quo gravidae mulieres aluntur, vix differt. Primis tantummodo puerperii diebus cibi coctu difficiliores rejiciuntur, et alimentorum copia vespere aliquantulum imminuitur. Potus, partum enixis praebetur idem, qui commendatur gravidis.

Tali diaeta puerperae per quatuordecim dies in schola nostra nutriuntur. Quo tempore praeterlapso, siquidem vegetae sunt, abeunt. Raro puer-

pera eam ob causam, ut nutricis munere in urbe fungatur, ante dictum terminum ab instituti directore dimittitur; dimissa vero semper curae domini, cui traditur, imprimis commendatur.

Quodsi morbus puerperae imminet, dictum *„principiis obsta"* ante oculos medici versatur, hinc, quod requiritur, cito fit. Foeminis scholaribus, quae vigilantes ad lectos assident, praescriptum est, ut de quaque in puerpera observata aberratione, etsi minima, sine mora ad directorem referant, quod si quid occultetur, aut dissimuletur, gravia quandoque exoriri possunt mala. Quum foeminae ejusmodi, et quae curantur, et quibus custodiendi officium commissum est, nonnunquam totae ex fraude factae, praescripta medici parvi aestiment, eorumque neglectionem vix sibi vitio vertant, medicus nostrae scholae disciplinae severae plurimum tribuit et censet, directori talis instituti, tanquam procubitorum praefecto, die et noctu diligenter cavendum esse. Quae cum ita sint, ipse, et socius pluries singulis diebus gravidarum, puerperarum et infantum statum explorant, semper vero mendaces, quae ob hanc vel illam causam ejusmodi casus celare student, cum director ingenii acumine praeclaro mendacia, etsi callide structa denudet, severe objurgantur.

Simili ratione evenit, ut raro in nostra schola febris puerperalis occurrat; ubi enim, nunc partu difficili peracto, nunc refrigerio admisso, aut cibo noxio sumto, aut animi turbatione facta, pars corporis aliqua praeter modum irritata reperitur, ordinique puerperii discrimen summum instat, medicina in promtu est. Si irritatio, vel inflammatio uterum, peritonaeum, aliudve cavi abdominis organon occupat, tantummodo sinapismis et emulsionibus papaverinis locus datur; praeterea lana abdomini superimponitur et, malo ingravescente, loco affecto hirudines applicantur. Ab emplastro vesicatorio, ab hydrargyro muriatico miti et a nitro, scholae medicus in ejusmodi casibus caute abstinet, quam quae remedia systematis uropoetici et tractus intestinorum functionem, uti constat, adaugere valent. Quodsi vero affectio cerebri periculum minatur, utrumque medicamentum, et Mercur. dulc. et nitrum, exigua tamen dosi (Mercur. dulc. gr. $\frac{1}{4}$—$\frac{1}{3}$, nitri vero gr. ij—IV omni trihorio) propinantur. Pudendorum intumescentiae et excoriationi munditie singulari et fomentationibus ex infuso herbarum aromaticarum paratis, obviam imus. Quodsi forsan squalor lochiorum et prava corporis puerperae constitutio effecit, ut excoriatio levioris momenti in ulcus mutetur, et in labiis majoribus, in regione inguinali, in perinaeo compareat, fundo rodentis ejusmodi ulceris, cui mira latius atque altius serpendi vis, pulvis cort. Peruv., cum pauxillo gummi

Mimos. mixtus, large inspergitur. Hoc unico remedio adhibito, brevi tempore, foedus adspectus evanescit, pus melius coquitur, et vulnus recrudescit. Papillis mammarum excoriatis, pulvere dicto, loco laeso supersparso, lactatione perpetuo continuata, optime schola medetur. Malis ab abundantia lactis et obstructione vasorum lactiferorum ortis, suctione, et vaporibus ex herbarum infusis fervidis prolectis auxilium fertur. Mammae induratae lana, vel pelle molli, quo tegumento simul cutis functio augetur, a pressu defenduntur, eoque nodi saepius in normalem redeunt statum. Quodsi vero mamma inflammata in suppurationem abire minatur, emollientibus cataplasmatibus non prius locus datur, quam fluctuatione pus se prodit. Abscessus ope emplastri diachyli compositi fere semper, rarissime acu aperitur; veremur enim, ne tali instrumento unum alterumve vas lactiferum laedatur. Ceterum pus, bis quotidie, dum copiose defluit, leniter exprimendo evacuatur, et foramen, ne quid sordium illud intret, empl. adhaesivo obtegitur, nunquam vero lintea carpta ingurgitantur. Abscessus cito clauditur.

CAPUT IV.

De cura neonatorum.

Neonatus in nostra schola maximi est pretii; etenim secundum directoris mentem tantum valet, quantum mater ipsa. Quo facilius vero talis thesaurus inepta tractatione perditur, eo diligentius ejus agitur cura. Quodsi foetus asphyxia oppressus editur, omne remedium, quod neonatum a morte eripere valeat, in usum vocatur, vel, si ulla spes reliqua est, per horas integras opera et labor in vita parvuli servanda consumuntur. Dulcis post laborem haud inanem quies!

Neonatus lavacro primo ablutus, linteis mollibus calefactis et culcita plumis referta tegitur. Tantum abest, ut mos plurium femellarum, infantes fascia quasi constringendi, teneatur, ut parvuli, brachiis liberis, lodicula laxe circumdentur. Neonati nec in cunas, nec in proprios lectulos conduntur, sed, ut fas est, in eodem lecto una cum matre dormiunt. Puerpera infantem caute in sinum recipit, et, quod aversum est a corpore matris latus, vasis fere bulliente

aqua repletis calidum servatur. Caloris extra lectum itidem diligenter habetur ratio: infans nimirum non, nisi in conclavi bene temperata et janua cubiculari clausa, e tegumentis solvitur. Aliquot horis post partum praeterlapsis mater, quae interea vires recuperavit, eo adducitur, ut parvulo mammam praebeat; lac enim maternum unicum infantis alimentum tam diu sistit, quamdiu in schola nostra fovetur, dummodo pro rerum statu lactere potest. Gravissime foemina, cui custodis munus demandatum est, accusatur, si cui infanti alius cibus dolose in os insertus fuerit. De sufficienti lactis resorpti copia medicus non fide a matre, foeminave vigilante data certior fit, sed ipse, ubi fraudem suspicatur, lintea faecibus inquinata, et ab urina madida, inspicit. Quodsi mammarum status aliquo modo depravatus impedit, quominus infans lactere possit, aut lacte vaccino recenter mulcto, aut aqua cocta et cum vitello ovi mixta, aut infuso sem. Foeniculi, cui tantulum panis albi additum est, nutritur.

Mundities in unoquoque instituti nostri opere magni aestimatur, et in servanda neonatorum salute judicatur tanti, ut nihil quod ad eam tuendam ullo modo conferre queat, praetermittatur. Quoque die, tempore matutino, infans balneo tepido, quod curante obstetrice domestica et paratur, et in parvuli vertitur usum, abluitur. Quum, proh dolor! aqua saepius limum ferat, plerumque, priusquam in solium effunditur, ad sedimentum deponendum per noctem in apto vase asservatur, et spongia, qua corpusculum mundatur, aqua pura perfecte eluitur. Quod lintea attinet, ea toties cum lotis mutantur, quoties aut meconio contaminata, aut urina humectata sunt. Et hoc quidem respectu summa, et puerperarum et foeminarum scholarium, quibus munus vigilandi incumbit, incuria aegerrime fertur. Illae nimirum linteorum inopia valde laborant, decem scilicet, vel duodecim ad summum singulae possident, hae vero negotium lintea mutandi iniquo animo ferunt, et ut levius sibi faciant opus, vagitum parvulorum negligentes, rarius, ac par est, stragulas inspiciunt. Quo fit, ut infantes miseri aut repetita vice iisdem tegumentis sordidis involvantur, aut per longius tempus madefacti jaceant, aut linteis, lotis quidem, nec tamen bene exsiccatis obtegantur. Ex simili incuria quandoque refrigerium admittitur, et cutis atterendo intertrigine laeditur, aut adeo exanthemata efflorescunt. Simulatque talis negligentia sentitur, scholae director graviter objurgat. Puerperis vere indigentibus ex apparatu instituto proprio lintea commodantur, quae vero impudenter suo corpori vestium copia optime, pessime vero illi neonati prospexerant, iis unum alterumve indusium detrahitur, et sine mora in usum parvuli forfice dividitur.

Ex habitu corporis in universum, et conditione materiarum excretarum, imprimis vero ex sonu vagitus infantilis vario, medicus scholae experientissimus malam neonatorum valetudinem dignoscit; vocem enim flebilem eorum bene intelligit, omnemque institutionem eo dirigit, ut discipulis etiam hujus vocis vis perspicua fiat. Parvuli morbo quodam correpti medicina non immodice implentur, sed sola diaeta apta plerumque ipsis redditur sanitas. Balnea aut e decocto Lini nutriendi infantis, aut ex infuso herbarum Serpylli et Majoranae, virium ejus incitandarum causa, parata, item clysteres e decocto semin. Lini applicati, optimo cum successu contra varios morbos in usum vocantur. Ubi ob hanc vel illam causam cerebri affectio inflammatoria erumpere minatur, aliudve malum grave imminet, quod methodum medendi revulsivam postulat, calomel, exigua tamen dosi, (gr. $\frac{1}{6}$ ad $\frac{1}{4}$) omni quadrihorio aegroto propinatur. Trismo et spasmis clonicis, vel eodem mercur. dulci, vel balneis ex infuso Serpylli factis, vel clystere e decocto sem. Lini praeparato mederi schola nostra studet. Ophthalmia neonatorum, qua infantes in instituto Trieriano saepissime laborant, oculo affecto diligentissime parcendo, et naturae processum plasticum quasi moderando, sine ulla visus noxa fere semper profligatur. Manu, status oculi cognoscendi ergo, nunquam palpebrae distrahuntur, neque rima illarum conglutinata abluitur; illam quippe agendi rationem superfluam et noxiam, hanc duram et rudem, utramque proinde haud probandam medicus judicat; qui potius palpebras tumentes, si ob muci copiam fere ex toto coëant, spongia parva et molli, infuso Serpylli filtro depurato madefacta, leniter fovere et attrectando caute a muco exsiccaturo liberare iubet, atque hoc facto infans palpebras, dum status intumescentiae concedit, optime sejungere valet. Ipse director, modum oculum affectum dextre purgandi docet. Cuivis mali formae peculiari remedio obviam itur; etenim, ubi secretio muci praevalet, collyrium e Zinci sulphurici gr. jj. et Aq. Rosarum ℥j paratum, oculi angulo interno instillatur: ubi vero inflammationis symptomata in lucem prodeunt, liquor ex Mucilag. Sem. Cydon. ℥ß et Aq. Rosar. ℥j compositus, cui interdum Laud. liq. S. pauxillum additur, guttatim adhibetur. Aphthae, rarissime in nostra schola occurrentes, intra paucos dies, nullo lincto in usum vocato, solius infusi Serpylli ope, cochlearibus aliquoties parvuli ori instillato, removentur. Ictero schola adaucto calore et, si malum ingravescit, balneis ex infuso Serpylli paratis tepidis egregie medetur, et contra diarrhoeam, icterum symptomatice concomitantem, clysmata e decocto sem. Lini immittuntur. Si neonatus pemphigo laborat, omnis cura adhibetur, ne bullae pressu aperiantur, et cutis

epitelio privetur; hinc balnea quotidiana interdicta sunt. Laesiones ab intertrigine oriundae, semine Lycopodii solo consperguntur. Infantes purpura miliari affecti a refrigerio quidem defenduntur, at minus severe pannis et culcitis involvuntur: praeterea, ut desquamatio cutis expediatur, balneis abluitur parvulus leniter aromaticis, ex infusis H. H. Serpylli et Majoran. compositis.

TABULA

eorum, quae per quatuor annos abhinc in instituto Trieriano facta sunt.

Anno	Numerus foeminarum receptarum	Numerus partuum			Pars foetus oblata	Sexus neonatorum		foetus mortui	infantes mortui	matres mortuae	mulieres ante partum dimissae
		naturalium	arte peractorum	Summa		pueri	puellae				
1823	111	94	13	107	Occiput centies quinquies Vertex semel Clunes semel Brachium bis (bis gemelli editi)	56	53	5	5	1	—
1824	110	100	6	106	Occiput centies quinquies Vertex semel	56	50	5	2	1	—
1825	100	85	8	93	Occiput octogies quinquies Vertex ter Facies semel Clunes bis Pedes ter (Gemelli semel editi)	59	35	3	5	—	—
1826	88	73	8	81	Occiput octogies Vertex semel Clunes semel (Gemelli semel editi)	45	37	4	3	—	1